

PRAEFATIO

Illud ergo in textu recensendo proposui, ut quotiescunque a Mediceo discedendum videretur, eius codicis lectiones semper referrem. minimos tantum errores, fortuito vel mera imprudentia admissos, nihil opus esse iudicavi memorare; quamquam hos quoque malui animadvertere, sicubi vel parvi esse momenti existimari possent. recentium lectiones plerumque titulo '*recc.*' memoravi, si vel errante Mediceo locum correctiorem volgo haberent, vel Mediceo recte scripto eundem complures exhiberent errorem; ubi autem utile videretur, cuiusque indicavi lectionem, praesertim in Agamemnone ubi perditis Medicei foliis lacunae e tribus recentioribus supplentur, et in Supplicibus, quae fabula in quattuor tantum codicibus invenitur. quin etiam omnium librorum, qui aliquam ob causam digni videbantur quos nominarem, tum catalogum huic praefationi subieci, ubi ipsos codices satis describere conatus sum¹, tum cuiusque testimonia enumeravi, et sigla quibus hic citantur indicavi.

Denique omnibus quorum auxilio sum fretus quod debetur volebam rependere, nisi prohiberet ipsa nominum multitudo. ab anno enim 1518, quo Aldina prodiit Aeschyli editio, doctorum series virorum, qui de hoc studio optime sunt meriti, ad hunc diem vix parumper intermissa defluxit. quodsi inter saeculi paene exacti fines coercitus summa tantum nomina commemorem, W. Dindorf, Bothe, Paley, G. Hermann, Hartung, H. Weil, Kirchhoff praecipuum fortasse locum obtineant, qui poetae omnes fabulas

¹ Ea inferiorum codicum multitudo qua solae '*Byzantinae*' tres traegodiae (Prom. Pers. Theb.) continentur, omnium doctorum consensu in recensione iure negligitur.